

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Secunda De Religione Eclectica Seu Prudentum ad Locum 1. Thessal. V.21

**Hardtschmidt, Johann Nicolaus
Winter, Johannes Christoph**

Argentorati, 1705

VD18 11641991

Porisma VI

urn:nbn:de:bsz:31-105849

circa articulos fidei contraverfos fuit omnino necessaria, omnino liberum fuit huic cœtui Symbolum confessionis suæ formare, è quo de ipsius Fide, Religione & Dogmatibus cuiusvis facile esset ferre iudicium; de qua re tamen in sequentibus DEO volente plura erunt monenda.

Porisma
VI.

PORISMA VI.

Quemadmodum doctrinæ talis & probatio atque examen instituendum est, ut in fide confirmati, de credendis & faciendis certi redamur; ita perpetua dubitatio in rebus divinis, Scepticismus, ac Libertinismus in rebus Sacris locum non habet. Conf. §. 17. 18. Probanda omnia sunt, ut certum quid teneamus, & discendum est, ne in perpetua dubitatione mens nostra versetur; est enim perverforum hominum, quorum studium inane & jactata fides nulla est, qui semper discunt καὶ μηδέποτε ἐπιγινώσκουσιν ἀληθείας ἐκ θεοῦ δοξαζέμενοι, & nunquam potentes sunt venire in cognitionem veritatis. 2. Tim. 3. 7. Hoc à vero Christiano alienum est, & fini Scripturæ repugnat, & naturæ fidei veræ adversum est. Et quemadmodum in precibus talis fluctuatio ex manibus quasi excutit dona à DEO danda, ita in credendis procul abesse debet; Est enim addubitans similis fluctui maris ventis agitato & jactato: non enim existimato homo iste, quod accepturus sit aliquid à Domino: (tanquam) vir duplicis animæ, inconstans in omnibus viis suis. Jacob. 1, 6, 7, 8. Quam dubitationem & dipsychian huic loco & instituto non incongrue depingit b. Dannhåvv. Theol. Conscient. part. 1. sect. 2. art. 11. p. 113. §. Ancipitium, ambiguitas, sive status μετέωρος, dubius, fluctuans, infirmus, ac incertus quo se sine formidine ac periculo peccandi inclinet? ortus ex iudicij hebetudine & rationum determinantium ad τὸ θεῖον defectu, verbi divini conscientiam firmantis neglectu, hæresos indole, qua semel admissa necesse funes dubitationum infinitos. Neque est cur quis existimet, me sine ratione de Scepticismo hæc dixisse, quandoquidem Indifferentismus iste & religio prudentum Eclectica non procul abest à Scepticis, Questionistis, & Expectantibus, qui omnia religionis capita in dubium vocant, nihil certi statuentes, nisi libertatem conscientiarum & prophetiæ, autore Honor. Regg. de statu Ecclesiæ Brit. p. 3.

PORIS-